



Paraguay, ó prov. de Rio de la Plata cum regionibus adjacentibus Tucuman et Sta. Cruz de la Sierra.

<https://hdl.handle.net/1874/430101>



2567 III K d 7

PARAGVAY ET TVCVMAN.

tarios habet 400000, quorum numerus indies accrescit. Civitas *Buenos Ayres* ostio fluminis proxima est in ripa ejus Australi, solo ubere, & fructuum omnium Castellanos feraci. Colonos in eam deduxit Petrus de Mendoza anno 1535. Regio omnis plana est, exceptis collibus hinc illuc, montiumque jugis, quæ ad littus excurrunt. *Santa Fe*, ad Australe latus urbis *Assumcion*, conspicitur, plano solo, contermino provinciæ *Tucuman*, & urbi *Cardova*. Gentes Barbaræ vicinæ sunt *Calchinos*, *Mepenes*, & *Chiloacas*. A *Buenos Ayres* 120 miliaribus recedit, & pari fere intervallo ab urbe *Assumcion*.

Circa littora istarum provinciarum, quæ à Brasilia ad fluvium usque *de la Plata* expanduntur, quinque aut sex occurrunt portus, commodi satis ad navium stationes, nempe portus *S. Vincentii* altit. grad. 33. & ulterius fluvius *Vbay*: necnon portus *de la Canavea* alt. grad. 35: portus insuper *de la Barca*, fluvius & portus *S. Francisci*: Insula *S. Catalina*, ubi fida navibus quies: Portus *Cerrado*, portus *Riopoblado*: fluvius *Tiraqueri*, grad. 32. Quo tempore Dux Salazarius mortuo Petro de Mendoza, provinciis hisce imperabat, anno 1545, accidit forte, ut de nocte irruens in ædes tigris cubantem in lecto Castellanus spectante juxta uxore, graviter læserit, moxque avectum inde in arundineta, necatumque devoraverit: summo autem mane egressus Dux Salazarius militibusque quinquaginta stipatus, feram quæsiturus, in diripienda eam præda occupatam deprehendit, cumque hæc contra ipsum insurgeret & jam ictum vibraret, Dux explosio sclopeto, vulneratoque corde eam interfecit.

PROVINCIA
TVCVMAN.

Provincia & Præfectura *Tucuman* in mediterraneis sita est, extenditurque ejus districtus à provincia *de los Chicas*, qui jurisdictioni urbis Imperialis *Potosi* subsunt, ad fluvium usque *de la Plata*. Regio temperata est, sic satis fecunda, at auri & argenti fodinarum, quod quidem constet, in hunc usque diem expers. Loca, habitationesque Castellanos sub uno Episcopatu hæc sunt: nempe civitas *Sant Iago del Estero*, quam primum *del Varco* appellarunt, altitud. grad. 28. à *Potosi* Meridiem versus 85 leucis, ad lacum fluviumque *R. Estero*. Sedes est Gubernatoris, Ministrorum regionum, ac ærarii regii, necnon Episcopatus & Cathedralis Ecclesiæ. Vrbs *Santa Maria de Talavera* 45 à *Sant Iago* versus Boream leucis distat, à *Potosi* 40, altitud. grad. 26. Vrbs *S. Michaelis de Tucuman* 28 à *S. Iago* abit leucis versus Occidentem, altitud. grad. 27. Colonos accepit quo tempore pater *Garcia de Mendosa*, *Marchio de Caniete*, Vice-regis titulo imperabat. Sunt etiam hic alia loca nova, *Londres* & *Chalcaque*, quam novam *Corduram* vocabant, in provincia *de los Iurias* & *Draguitas*, quorum incolæ paucis retro annis alio translati sunt. Indigenæ hujus tractus laneas vestes gerunt, & interjecto corio affabre elaboratas, ad instar tapætorum Hispaniensium. Magnam alit pecorum frequentiam, propter lanæ usum, qui ipsis quæstus est uberrimus. Habitacula sua arcæ conjungunt, nec sparsum, sed vicatim habitant, quanquam minores sint pagi, nec usque adeo frequentes. Cum vero singulis singulæ fere familiæ contineantur, rubis, vepretisque cinguntur, propter perpetua, quibus inter se committuntur bella & simultates. Gens est laboribus assuetæ, nec ebrietati, uti aliæ Indorum nationes dedita.

Septem flumina, eaque majora, provinciam istam irrigant, & torrentes plusquam 80, ab aquarum bonitate laudati. Pascua insigni hic amœnitate nitent, eaque magnitudine vasta. Eadem hic, quæ Castellæ, est æstatis hyemisque tempestas. Climate jacet salubri & temperato. Primi eam ingressi sunt militum duces, *Diego de Rojas*, *Philippus Gutierrez*, & *Nicolaus de Heredia*, qui eam detexere ad Australe latus fluminis *de la Plata*, ad usque propugnaculum *Gaboto*.

PROVIN-

DESCRIPTIO

PARAGVAY,

sive Provinciæ

RIO DE LA PLATA,

cum regionibus adjacentibus

TVCVMAN ET SANTA CRUZ

DE LA SIERRA.



Provinciæ *Rio de la Plata* nomen suum ab ipso flumine mutuata sunt, nullisque adhuc certis definitisque limitibus describuntur, nisi qua parte Septentrionale mare spectant. Ad Meridiem ab ipsa fluminis ripa initium capiunt, altitudine Australi grad. 36, & Boream versus extensæ ea Brasiliæ parte terminantur, quam Tropicus Capricorni transit. Versus Occidentem ad provinciam usque *Tucuman* exspiciantur, alibique Peruvix extrema contingunt.

Atque hæc quidem regio omnis à soli ubertate ac fecunditate supra modum laudatur. Frumentum, vina, sacchara larga manu subministrat, omniaque Castellanos in hunc orbem translata semina cum sænore ingenti reddit. Pascuis quoque luxuriat, in quibus omnis generis armenta aluntur, maxime equi, qui cum primum numero essent triginta septem, equi 30, equæ 7, spacio annorum XL in eum numerum excrevere, ut totam circumquaque regionem impleverint. Triplex habet cervorum genus; alii magnitudine minores vacas æquant, proceris altisque cornibus, qui in paludibus ac arundinetis latitant: alii hircos majores quantitate referunt, qui in agris vivere amant: alii vero minores adhuc, qui montana colunt. Sues ac cercopithecus valde caudatos hic videas, magnitudine fere humana, etiam vulpes, tigrides, leones, aliaque ferarum genera. Chamæleontem quoque hæc terra alit, ore in aerem vento obversum, nulli noxium animalculum. Et quanquam hæcenus creditum fuerit, auri fodinis hunc tractum destitui, secus tamen nuper compertum, deprehensis non levibus auri ac argenti vestigiis, uti & æris, ferrique ac amethystorum.

Indis fluvius hic *Paranaguazu* dicitur, etiam *Parana*. Post fluvium Amazonum, nulli totius terrarum orbis flumini magnitudine cedit. Ostium ad mare Septentrionale Austro obvertit altit. grad. 35 & 36. Inter promontorium *S. Mariæ*, quod Boreale est, & *Cabo Blanco*, sive ut alii vocant, *Capo de Sant Antonio*, quod Australe est, intervallo triginta leucarum Hispanicarum. Si altius conscendas latus est miliaria decem, pluribus passim insulis conspersus, multosque hinc ab Oriente, inde ab Occidente fluvios receptans, usque ad portum *de los Reyes*: qui lacus est vastæ magnitudinis, (*de los Xarays* vocant) paulo minus trecentis miliaribus ab ostio remotus, quem constituunt argentique flumina ex montibus *Andes* delapsa.

Primus fluvium conscendisse perhibetur *Iohannes Diaz de Solis* anno 1515, & post hunc *Sebastianus Gaboto* Anglus, missus ab Hispanensibus, ut per Fretum Magellanicum Moluccas adiret. Hic postquam ad aliquot leucas flumen ingressus esset, argentum apud Indos reperit, quod bello cum Peruvianis gesto sibi pepererant. Atque hac de causâ fluvio nomen *de la Plata* inditum, qui antea à Iohanne prædicto fluvius *Solis* dictus fuerat. Ad unam eandemque præfecturam referuntur hæc regiones, Proregi Peruvix ob locorum vicinitatem subditæ. Episcopatum quoque habet, in quo tres sunt Castellanos pagi ac societates. Magna quoque in his est indigenarum frequentia, quibus corpora vasta sunt, & vegeta.

Vrbes hæc sunt: Vrbs *de Nuestra Señora del Assumcion* prima colonia, ac provinciæ metropolis in altitud. grad. 25½ posita, quam primus fundavit Dux *Iohannes Salazarius*, jussu Gubernatoris *Petri Mendozæ*. Ad hujus latus dextrum prope Tropicum occurrit *Ciudad Real*, quam *Indi Guyaram* vocant, alio quoque nomine *Oliveros* appellatur, 80 ab urbe *Assumcion* leucis, juxta fluvium *Paranam*. Loco sita est fertili & rerum ad victum satis ubere. Ad latus vero Peruviam spectans urbs est *S. Cruz de Sierra*, in quam colonos deduxit *Niusto de Chaves*, prope fluvium *Paraguay* condita, cives habens Castellanos 400, & 3000 ex Indo ac Castellano parentibus natos, quos *Mestizos* vocant. Sedes est Gubernatoris, ministrorum regionum Ecclesiæ Cathedralis, quam Episcopatum *de la Plata* vocant, suffraganeum Archiepiscopatus *de los Reyes*. Indos tributarios

AMERICA.

L

rarios